



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

Ser. I. De vers. I. Qui habitat in adjutorio Altiss. &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

gladio inimicus perimitur, & magnitudo tribulationis, de qua tentare solebat, ipsas magis tentationes exuperat tanquam certissimum divinæ præsentia argumentum? Quid enim timendum nobis, si adest qui portat omnia? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Nam & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es <sup>c</sup>. Quid est, quod totam molem terræ sustinet? Et universus orbis cui innititur? Nam si est aliquid quod sustineat cætera, ipsum à quo sustinetur? Non invenitur nisi virtutis verbum omnia portans. Verbo enim Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum <sup>d</sup>.

c Psal. 26. a

d Psal. 32. b

Propterea, ut sit vobis in verbo Domini consolatio, maxime his diebus, quibus (sicut omninò dignum est) aliquatenus maior est labor vester, non erit inutile tractare vobiscum aliquid de Scripturis sanctis, quod etiam aliqui vestrum rogaverunt. Unde nobis eligendus est Psalmus ipse, de quo tentationis occasionem inimicus assumpsit\*, ut inde confringantur arma maligni, unde sibi usurpare præsumpsit. Propterea nolo vos ignorare, Fratres, quoniam manifestè imitatores sunt inimici, quicumque de Scripturis sanctis aliquid non sanctè usurpant, & detinent veritatem DEI in mendacio, sicut solent quandoque nonnulli. Cavete hoc, dilectissimi, quia prorsus diabolicum est, & de parte eius se esse probant, quid id faciunt in suam ipsorum perniciem, salutaria scripta pervertere molientes. Sed non modò plus immoror, sufficit credo breviter tetigisse. Jam de ipso quem elegimus Psalmo, aliqua præstante Domino differere & explanare tentemus.

\* Nam verbis Psal. 90. abusus est diabolus tētas Christū. Matth. 4. Abusi scripturis diabolicum.

S E R M O I.

De *ψ. I. Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione DEI cœli commorabitur.*

cc

cc

Quis sit divini inhabitator adiutorii, per non inhabitantes illud melius potest agnosci. Tria siquidem eorum reperies genera. Unum non sperantium, aliud desperantium, tertium frustra sperantium. Neque enim inhabitat in adiutorio Dei qui non posuit Deum adiutorem suum,

Tria genera non habitantium in adiutorio Altissimi.

Q99 2

sed



1. non sperantes.

a Psal. 51. b

b Esa. 53. a

Religiosi non sperantes in adiutorio Altissimi quoniam.

Quo maiora DEI dona eo magis timendum.

e Eccli. 24. c

2. Desperantes.

3. Frustra sperantes.

d Prophe- tam hunc non invenio: interrim vide.

Eccli. 5. a

e Pl. 145. b\*

sed confidit in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum<sup>a</sup>. Surdus namque ad Prophetæ vocem dicentis<sup>b</sup>: *Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum dum prope est*, & sola temporalia quærens, æmulator in malignantibus, pacem peccatorum videns, & elongatur ab adiutorio Altissimi, quod sibi ad hæc necessarium esse non reputat. Sed quid nobis de his quæ foris sunt judicare? Timeo, Fratres, ne fortè etiam sit in nobis, qui non habitet in adiutorio Altissimi, sed confidat in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum. Forte enim fervorem habet aliquis, potens in vigiliis, in jeuniis, in labore, & cæteris huiusmodi, aut etiam multorum (ut sibi videtur) divitias meritorum longo tempore acquisivit, & in his confidens remissior est in timore Dei, facile jam ad ociositates & curiositates perniciofa quadam securitate declinat, murmurat, detrahit, dijudicatque. Qui profecto si habitaret in adiutorio DEI, attenderet utique sibi, & timeret offendere quem sibi cognosceret adhuc tam necessarium esse. Tantò siquidem amplius timere Deum, & magis sollicitus esse debuerat, quantò maiora eius munera jam percepit. Neque enim quæ habemus ab eo, servare aut tenere possumus sine eo. Nunc verò (quod non sine dolore loquimur aut videmus) sunt aliqui qui in conversionis initio satis timorati & solliciti sunt, donec initium aliquod conversionis acceperint; & cum multo magis desiderare debuerant, juxta illud. *Qui edunt me, adhuc esurient*<sup>c</sup>: incipiunt sic agere ac si dicant: Ut quid ei serviamus ultra, quandò jam habemus quod daturus est? O scires quam parum est quod habes, & hoc ipsum quam cito perdes, si non servaverit ille qui dedit! Hæc enim duo sunt, quæ valdè sollicitos & subiectos DEO nos reddere possunt: ut non simus de his, qui propterea non habitant in adiutorio Altissimi, quia non reputant illud sibi necessarium esse, & hi sunt qui non sperant in Domino.

Sunt autem & alii qui & desperant, hi scilicet qui considerantes imbecillitatem propriam, deficiunt & obruuntur à pusillanimitate spiritus, habitantes in carne sua & circa infirmitatem propriam semper intenti, ut omnia quæ patiuntur, cursim enumerare parati sint. Ubi enim intenderis ingenium, valet. In adiutorio autem Dei non habitant, neque noverrunt illud, quod nec assurgere valeant ut aliquando cogitent illud.

Sunt autem alii qui sperant quidem in Domino, sed frustra, quia sic de misericordia eius sibi ipsi blandiuntur, ut à peccatis suis non emendentur: vana est omnino spes ista, & hæc confundit, eo quòd charitas desit. Contra hos Propheta<sup>d</sup>: *Maledictus, inquit, qui peccat in spe.* Et alius: *Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Dicturus qui sperant signanter præmisit, *super timentes eum.*



In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. I. 495

*tes eum.* Frustra siquidem sperat, qui contemptu suo gratiam à se repellit, & spem suã prorsus evacuat. Nullus ergo horum trium habitat in adjutorio Altissimi. Primus enim habitat in meritis suis, secundus in pœnis, tertius in vitiis. Immunda habitatio tertij, anxia secundi, stulta & periculosa primi. Quid enim stultius quam habitare in domo vix adhuc inchoata? Consummâsse te putas? At cum consummaverit homo, tunc incipit. Denique ruinosa est omnino hæc habitatio, & quæ sustentari magis opus habeat, & fulciri, quàm inhabitari. Nonne vita præsens fragilis est & incerta? Simile esse necesse est quicquid fundatur in ipsa. Quis enim super fragile fundamentum, stabile credat ædificium? Periculosa habitatio eorum qui in meritis suis sperant, periculosa, quia ruinosa.

*Stulta & ruinosa habitatio in meritis suis consistere. f. Eccli. 18. a*

Eorum verò qui consideratione propriæ infirmitatis desperatione deiiciuntur, habitatio est anxia, & eos in tormentis diximus habitare. Quandiu enim & pœnas sustinent in quibus nocte & die conteruntur, & eis quoque quas nondum sentiunt amplius cruciantur, ut non sufficiat diei malitia sua, sed opprimuntur his quoque quæ fortasse nunquam experientur: quæ tormenta, quis infernus intolerabilior potest excogitari, præsertim quia & tanto labore premuntur, & cœlestis panis non sustentantur edulio? Hi sunt qui in adjutorio Altissimi non habitant, quia desperant. Priores autem idcirco non quærunt, quia nequaquam sibi illud necessarium sentiunt. Extremi vero propterea longè sunt, quia eo modo quærunt auxilium Dei, quo obtinere non possunt. Soli enim in adjutorio Altissimi habitant, qui id solum obtinere desiderant, id solum amittere trepidant; sedula circa illud & sollicita cogitatione versantes, quæ est utique pietas, cultus Dei. Beatus planè qui sic habitat in adjutorio Altissimi: quia in protectione Dei cœli commorabitur. Quid ei nocere poterit eorum quæ sub cœlo sunt, quem Deus cœli protegere & conservare voluerit? Porro sub cœlo sunt quæcunque nocere possunt, sub cœlo sunt aeræ potestates: sub cœlo præsens seculum nequam, & caro adversus spiritum concupiscens.

*Puillanimum cruciatus & miseria.*

*Quinam in adjut. Altiss. habitent.*

Optimè igitur dictum est, *In protectione DEI cœli commorabitur*; ut nihil eorum quæ sub cœlo sunt timere possit quisquis protectionem ejus habere meruit: sive ita dictum sit, ut ad versum sequentem oratio dependeat: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione DEI cœli commorabitur: Dicet Domino, susceptor meus es tu, & sit quod dicitur, in protectione DEI cœli commorabitur*, expositio præcedentis partis, *qui habitat in adjutorio Altissimi*: aut magis addere videatur, ut non solum adjutorium ad operandum bonum, sed protectionem quoque ad liberandum à

*Nil sub cœlo timet quis Deum cœli protectorem habuit.*



malo doceat esse quærendam. At verò diligenter attende, quod, in protectione, dicit: non in præsentia. Angelus in præsentia ejus exultat: ego utinam possim in ejus protectione morari! Ille beatus in præsentia, ego utinam in protectione sim securus! *DEI cæli*, inquit: Licet enim ubique esse non dubitetur, sic tamen in cælo est, ut ad ejus comparationem nec esse videatur in terris. Propter quod & orantes dicimus: *Pater noster qui es in cælis*. Sicut enim anima cum in toto quoque sit corpore, excellentius tamen & singularius est in capite, in quo sunt omnes sensus, (nam in cæteris omnibus membris vix unum exercet solum, scilicet tactum, unde quantum ad eum modum quo in capite est, cætera membra videtur quodammodo non tam inhabitare quam regere) ita si præsentiam illius cogitemus, qua beati angeli perfruuntur, videri possumus vix aliquam Dei protectionem & nomen habere. Felix tamen anima, quæ vel hanc protectionem meretur. *Dicit enim Domino, susceptor meus es tu*. Verum id quidem sermoni alteri reservamus.

*Deus cur peculiariter dicitur esse in cælo, cum sit ubique.*

## S E R M O II.

De Vers. II. *Dicit Domino, susceptor meus es tu &c.*

” **Q**ui habitat in adjutorio Altissimi, ait Propheta, dicit Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum. Dicit in gratiarum actione, Confitemini Domino misericordiae ejus super duplici adjutorio ejus. Omnis enim qui adhuc in adjutorio habitat, non in regno; & frequenter opus habet fugere, & interdum cadit. Fugere, inquam, dum in hoc corpore sumus à facie tentationis persequentis oportet. Quòd si minus celeriter fugimus, aliquandò (ut assolet) impellimur & evertimur, sed Dominus suscipit nos. Ipse itaque refugium est, ut venientem cum stercoribus bouum pigrorum lapidatorem impigri fugiamus, & evadere possimus foedam nimis lapidationem. Ipse quoque susceptor est, ut etiam cum ceciderimus, non collidamur, quoniam supponit manum suam. Cum ergo tentationis impetum sentimus in cogitatione, statim fugiamus ad ipsum, & humiliter postulemus auxilium. Quòd si forte præocupaverit nos (ut aliquando) cum tardius, quam oporteat, ad eum confugimus, solliciti simus ut suscipiat nos manus Domini. Homines enim aliquando cadere necesse est, dum in hoc seculo detinentur: sed alij colliduntur, alij non, quia Deus supponit manum suam. Sed quomodo eos discernere poterimus, ut segregemus juxta *a Matt. 25. c* Domini exemplum, *a* agnos ab hoedibus, justos ab injustis? Nam & *b Prov. 24. b* *septies in die cadit b*,

*Fugere & cadere opus habemus, dum sumus in hoc corpore.*

*Antidotum contra tentationes.*

Verum hoc interest inter eorum casus, quod justus suscipitur à Domino,